

Distinctio XXI

/Bo 159vb; Vb 249vb; X 506a/ “Hic oritur quaestio”, etc. Postquam Magister probavit personas aequales in perfectione et in potentia, in hac parte incidenter inquit, quia mentionem
 5 fecerat de dictionibus exclusivis, utrum congrue possint addi uni personae, quin excludatur altera, et universaliter quomodo locum habeant in divinis. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit quod dictio exclusiva potest addi personis in ordine ad praedicata personalia. Secundo vero inquit an similiter addi possit in ordine ad essentialia; secundum ibi: “Post hoc quaeritur”.

Dicit itaque primo quod hic oritur quaestio ex hoc quod supra dictum est quod tantus est
 10 solus Pater quanti omnes tres simul, utrum sane et catholice dici possit ‘Pater solus’, aut ‘Filius’, cum secundum Augustinum Pater solus non sit, pro eo quod inseparabiles sunt tres personae. Et respondet ad hoc quod in ordine ad praedicata notionalia catholice dici potest; sensus enim est cum dicitur ‘solus Pater’ quod in divinis unus solus sit Pater, non autem quod Pater ab aliis separetur, quin semper inseparabiles sint personae.

Postmodum ibi: “Post hoc quaeritur”. Magister inquit an possit addi dictio exclusiva uni
 15 personae in ordine ad praedicatum essentialia, utpote */X 506b/* si dicatur ‘solus Pater est Deus’. Et circa hoc facit quatuor. Primo enim ostendit quod ista non est admittenda, ‘solus Pater est Deus’, dicens quod Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus sunt unus Deus; unde a nobis, verbis nostris utentibus non debent ista dici, sed ubi tantummodo occurrit sermo auctoritatis.

Secundo ibi: “Item in eodem, si quis interroget”. Magister ostendit quod nec etiam ex parte
 20 praedicati, ponendo dictionem exclusivam concedi debet quod Pater sit solus Deus; unde dicit quod ex verbis Augustini concluditur quod de trinitate toto praedicatur ‘Deus’ cum dictione exclusiva, dicendo ‘trinitas est unus solus Deus’, sed nullo modo de una sola persona.

Tertio ibi: “Sed iterum”. Magister obiicit contra hoc quod dictum est statim, dicens quod
 25 dubium est quomodo ipsam trinitatem dicimus solum Deum, cum sit cum spiritibus et animabus sanctis; et respondet quod propter hoc ut significemus quod non aliud quam ipsa trinitas est Deus.

Quarto ibi: “Verumtamen”. Magister ponit quandam regulam generalem de dictionibus
 30 exclusivis, dicens quod si alicubi in scripturis inveniantur praedicata essentialia alicui personae divinae attribui cum dictionibus exclusivis, non debet intelligi quod personae aliae excludantur, ut cum legimus Matthaeo 10: “Nemo novit Patrem nisi Filius”, non tamen separatur Pater et Spiritus Sanctus; et similiter, cum dicit Filius, Ioanne 17: */Vb 250ra/* “Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Iesum Christum”, non excluditur Spiritus Sanctus a veritate Dei.

Haec est sententia. */X 507a/*

35

Utrum dictiones exclusivae vel exceptivae admittantur in divinis.

Et quia Magister hic agit de dictionibus exclusivis et exceptivis, ideo inquirendum occurrit utrum locum habeant in divinis.

40 **Et videtur quod non.** Ubi enim non est solitarium aut aliqua solitudo, ibi locum non habet ‘solus’ aut ‘tantum’, et ceterae dictiones exclusivae quae important solitudinem et exercent. Sed Hilarius dicit, III libro *De trinitate*, quod in trinitate non est diversitas, nec singularitas, nec solitudo. Ergo ‘solus’, ‘tantum’, et dictiones ceterae exclusivae admitti non debent in trinitate.

Praeterea, secundum doctrinam Dionysii nihil debet in divinis admitti cuius oppositum in
 45 sacris eloquiis est expressum. Sed: “Salvator”, dicit Ioanne 8: “qui me misit, mecum est, et non relinquit me solum”; et Ioanne 16: “Non sum solus, quia Pater mecum est”. Ergo haec dictio ‘solus’, et ceterae exclusivae non debent in divinis admitti.

Praeterea, ubi est omnimoda inseparabilitas in esse et operari, et consortium inseparabile per
 50 omnem modum, ibi non habent locum dictiones exclusivae, quorum officium est excludere a consortio praedicati, omne quod est aliud [*om. Vb*] a subiecto. Sed trinitas est inseparabilis in essendo et in operando, sicut Augustinus dicit, VI *De trinitate*, capitulo 7. Ergo huiusmodi dictiones non sunt admittendae in divinis.

Praeterea, quaecumque aliqua sic se habent quod quantumcumque alteri addatur dictio

exclusiva alterum non excluditur, ibi locum non habet dictio exclusiva, quia actus eius totaliter
 55 ibi evacuatur. Sed Augustinus dicit *Contra Maximianum*, libro III, capitulo 13, quod cum
 dicitur: “Nemo novit Patrem nisi Filius”, tamen non separatur Spiritus Sanctus; et VI *De*
trinitate, capitulo 8, ait quod ubicumque nominatur unus, sive Pater sive Filius, consequens est
 ut intelligatur pax <ipsa>, [Bo; nostra Vb] quae est Spiritus Sanctus. Ergo dictiones exclusivae
 non habent locum in divinis.

60

Quod dictiones exclusivae habeant locum in divinis. Sed in oppositum videtur quod dictiones
 exclusivae admitti possint catholice in divinis; illud enim catholice dici potest quod in scriptura
 novimus nobis expressum. Sed dictiones exclusivae et exceptivae leguntur addi in divinis, ut de
 dictionibus exclusivis patet I ad Timotheum 6: “Solus habet immortalitatem”; et capitulo
 65 eodem: “Beatus est solus potens Rex Regum, et Dominus”; et capitulo 1: “Regi saeculorum
 immortalis et invisibili soli Deo honor et gloria”; et Ioanne 17: “Cognoscant te solum verum
 Deum, et quem misisti Iesum Christum”. De dictionibus quoque exceptivis patet Matthaeo 11:
 “Nemo novit Filium nisi Pater, nec Patrem quis novit nisi Filius”; et Ioanne 6: “Nemo venit ad
 me nisi Pater traxerit eum”. Ergo huiusmodi dictiones circa divina catholice possunt admitti.

70 Praeterea, ubicumque aliquis actus sic competit alicui personae quod nulli alteri, ibi potest /X
507b/ addi dictio exclusiva personae illi respectu talis actus. Sed generare competit Patri et nulli
 alteri. Ergo congrue dici potest quod solus Pater generat, vel quod solus Filius generatur.

Praeterea, Augustinus dicit, VI *De trinitate*, capitulo 7, quod tantus est solus Pater, vel solus
 Filius, quantus est simul Pater et Filius. Sed hoc verum non esset nisi divinis personis ‘solus’, et
 75 ‘tantum’, et ceterae dictiones, congrue /Vb 250rb/ adderentur. Igitur id quod prius.

Responsio ad quaestionem. Ad quaestionem istam respondendo hoc ordine procedetur. Primo
 namque agetur de dictionibus exclusivis et exceptivis in se. Secundo vero in ordine ad actum
 proprium qui est excludere vel excipere. Tertio quoque adaptabuntur ad propositum, applicando
 80 ea quae dicta sunt ad divina.

Articulus Primus

**Quod dictiones exclusivae et exceptivae exclusionem seu exceptionem non significant, sed
 exercent.** Circa primum ergo considerandum quod natura dictionum exclusivarum et
 85 exceptivarum poterit aliquantulum deprehendi ex triplici propositione. Prima quidem quod
 huiusmodi dictiones exclusionem [vel exceptionem *add.* BoX] non significant, sed exercent.
 Voluerunt tamen aliqui dicere quod significarent illa, ita quod ‘tantum’ significaret solitudinem,
 et ‘nisi’ vel ‘praeter’, exceptionem; idem enim videtur importari per huiusmodi orationem:
 ‘omnis homo currit excepto Petro’, et per istam: ‘omnis homo currit praeter Petrum’; et
 90 secundum hoc ‘praeter’ et ‘exceptum’ idem important. Sed constat quod haec dictio ‘exceptus,
 excepta, exceptum’ significat exceptionem. Ergo et ‘praeter’ illam significabit, et pari ratione
 ‘solus’ exclusionem.

Praeterea, constat quod nulla dictio exercet nisi significando; illud ergo exercere videtur
 quod significat. Sed manifestum est quod dictiones exclusivae excludunt et exceptivae
 95 excipiunt. Ergo significabunt exclusionem et exceptionem.

His tamen non obstantibus, dicendum est idem quod prius; dictiones namque huiusmodi non
 sunt categorematicae, sed syncategorematicae; non sunt enim significativae, sed
 consignificativae. Sed si exclusionem vel exceptionem significarent, essent vere categore-
 maticae et per se significativae. Ergo huiusmodi dictiones non significant ista.

100 Praeterea, illae quae non exprimunt aliquid subiicibile vel praedicabile, sed solam
 habitudinem subiecti ad praedicatum et e converso, non possunt aliquid praecise significare; si
 enim praecise significarent aliquid, significatum illud possent supponere, et ita possent esse
 subiecta vel praedicata. Sed manifestum est quod ‘solum’ et ‘tantum’, et ceterae dictiones
 exclusivae exprimunt habitudinem praedicati ad subiectum, et e converso, et eodem modo /X
 105 **508a**/ dictiones exceptivae. Ergo non significabunt exclusionem sive exceptionem. Unde
 considerandum est quod solitudo potest dupliciter importari, sive exclusio sive exceptio. Primo

quidem, ut ista per se et praecise significantur, et hoc modo hae dictiones ‘solus’, <‘exclusus’, ‘exceptus’> [exclusio exceptio BoVb] dicuntur illa significare. Secundo, ut circa alterum denotentur, et hoc modo ‘solum’, et ‘tantum’, et ‘praeter’, et ‘nisi’ dicuntur illa significare, vel
 110 potius consignificare, vel circa alterum in ordine ad alterum denotare. Et propter hoc syncategorematicae appellantur. Unde et consuetum est ab aliquibus dici quod non significant, sed exercent, sed melius est dictu quod non significant, sed consignificant et consignificando exercent.

Nec valent motiva in oppositum. Primum siquidem non, quia dictio ‘praeter’, et haec dictio
 115 ‘exceptus’ se habent ad exceptionem: prima quidem per modum denotantis /Vb 250va/ exceptionem circa aliquid et ita per modum consignificantis, altera vero per modum per se significantis, propter quod ‘praeter’ est praepositio, et ‘exceptus’ est nomen.

Non valet etiam secundum, quia verum est quod exercent, non quidem significando, sed consignificando.

120

Quod propositiones exceptivae et exclusivae possunt per dictionem vel orationem formari.

Secunda vero propositio est quod exclusio potest fieri per dictionem vel orationem: per dictionem quidem ut dicendo: ‘tantum Sortes currit’; per orationem vero, ut: ‘Sortes currit et nullus alius’. Similiter etiam fit exclusio per solam praepositionem, ut: ‘omnes currunt praeter
 125 Sortem’, vel per nomen, ut ‘omnes currunt, excepto Sorte’.

Ulterius attendendum est quod ‘solus’, ‘tantum’, ‘tantummodo’ et ‘solum’, et cetera adverbia diversimode excludunt, quoniam ‘solum’ potest excludere, et a casuali et ab actu. A casuali quidem, ut dicendo: ‘Sortes solum currit’; est enim sensus quod nullus alius a Sorte currit. Ab actu vero, cum dicitur: ‘Sortes currit solum’; est enim sensus quod Sortes non legit, nec
 130 disputat, nec habet actum alium nisi cursum. Et simili modo intelligendum est de ceteris adverbis exclusivis, utpote ‘tantum’, ‘tantummodo’, ‘solummodo’, et similibus. ‘Solus’ vero nominaliter sumendo non excludit ab actu, sed casuali tantum; est enim sensus ‘solus Sortes currit’, non quidem quin Sortes aliud agat quam currere, sed quod nullus alius a Sorte currit. Ratio vero huius differentiae est quia adverbium potest esse determinatio praedicati, cum sit
 135 verbi adiectivum secundum Priscianum. Et ita potest exclusionem dupliciter exercere: si enim intelligatur determinare verbum, tunc excludit ab actu; si vero compositionem praedicati cum subiecto, tunc excludit a participatione praedicati omne aliud a subiecto, et ita excludit a casuali; sumitur enim hic casuale pro subiecto, actus vero pro praedicato, /X 508b/ pro eo quod subiectum exprimitur per nomen sub aliquo certo casu, actus autem per verbum.

140

Quomodo propositiones istae exponuntur, et qualiter convertuntur, et qualiter aequipollent.

Tertia quoque propositio est quod propositiones exclusivae exponuntur per universalem oppositam, ut verbi gratia ‘tantum Sortes currit’, exponitur per istam ‘Sortes currit et nullus alius’; si vero exclusiva esset negativa, dicendo: ‘tantum Sortes non currit’,
 145 exponeretur per universalem affirmativam, et negativam simplicem, dicendo: ‘Sortes non currit, et omne aliud currit’. Convertuntur autem huiusmodi propositiones in universalem de transpositis terminis, ut verbi gratia ‘tantum Sortes currit’ convertitur in istam: ‘omne currens est <Sortes> [Bo; homo Vb]’, et illa ‘tantum unum est’, convertitur in illam: ‘omne ens est unum’, ut patet I *Physicorum*. Aequipollent autem propositiones exclusivae propositionibus
 150 exceptivis, ponendo exclusivam pro praeciante, et illud a quo sit exclusio pro exceptione, ut dicendo ‘tantum Sortes currit’, aequipollent huic: ‘nullus currit nisi Sortes’.

Est tamen hic dubium de propositione in qua sit exclusio a toto integrali, utrum converti possit in universalem de transpositis terminis, utpote si dicatur: ‘solus paries est albus’, ‘omne album est paries’; secundum hoc enim lapis, sine quo paries non est albus, esset paries
 155 formaliter et in recto, quod nullo modo dicendum est. Propter quod aliqui negaverunt illam regulam de conversione, quae nihilominus /Vb 250vb/ negari non potest; manifestum est enim, cum dictio exclusiva excludat omne aliud a subiecto a participatione praedicati, et ita relinquat inhaerentiam praedicati ad subiectum, quod si fiat conversio, subiectum inerit universaliter praedicato. Nec illud impedit de toto integrali; ista enim est vera ‘omne album est paries’, si

160 solus paries est albus. Nam et lapis, etsi non sit paries in recto, est tamen parietis in obliquo, tamquam pars constitutiva sine qua impossibile est quod paries totus sit albus; pro tanto autem verificatur ista ‘omne album est paries <in quo> [quod Vb] pars integralis continetur’ sub dici de omni; potest enim per dici de omni concludi ‘omnis paries est albus, lapis est aliquid parietis, ergo lapis est albus’. Unde et Philosophus, definiens I *Priorum* dici de omni, non ait quod dici

165 de omni sit quando nihil est subiectum in recto de quo non dicatur praedicatum, sed <dicit> [Bo; dici Vb] in obliquo, quando nihil est sumere subiecti de quo alterum non dicatur.

Et in his articulus primus finitur.

Articulus Secundus

170 **De actu dictionum exclusivarum et exceptivarum, et primo an additae accidenti excludant substantiam, et additae toti integrali excludant partem, vel additae inferiori excludant superius, vel e converso.** Circa secundum vero considerandum pro regula generali quod dictio exclusiva separat a consortio praedicati omne quod sic est aliud a subiecto, quod non attribuitur sibi praedicatum eadem attributione qua subiecto ponebatur inesse. Et hinc est quod quia

175 inferior ex ea vi, qua aliquid sibi attribuitur necessario, attribuitur et superiori, ideo dictio exclusiva addita inferiori non excludit superius. Unde dicendo ‘tantum Sortes currit’, non excluditur homo quin currat. Similiter etiam dictio exclusiva superius salvatur in aliquo inferiori, dicendo ‘tantum homo currit’, non excluditur Sortes, nec tamen ponitur quia potest verificari pro Platone. Unde quamvis dictio exclusiva addita inferiori superius non excludat, nec

180 e converso, nihilominus illa quae formatur de inferiori infert illam quae formatur de superiori dicendo ‘tantum Sortes currit’. Non tamen e converso sequitur: ‘tantum homo currit, ergo Sortes tantum’, et ratio huius est quia dictio exclusiva non tollit rationem universalis et superioris a quo affirmative non arguitur ad inferius sine fallacia consequentis.

Ex eadem quoque regula patet quod dictio exclusiva addita substantiae non excludit accidens

185 in concreto, nec etiam e converso; non enim sequitur ‘tantum Sortes currit, ergo quantum vel coloratum non currit’, nec e converso: ‘tantum coloratum currit, ergo Sortes non currit’. Constat enim quod eadem attributione qua uni attribuitur potest et alteri attribui, quoniam in significato concreti includitur subiectum in recto, ut superius dictum fuit.

Per eandem vero regulam patet quod si fiat additio exclusivae ad accidens in abstracto,

190 excluditur substantia, et e converso. Unde, si dicatur: ‘tantum albedo est’ vel ‘sola species panis est in sacramento altaris’, excluditur substantia, et sequitur: ‘ergo substantia non est’, et similiter sequitur: ‘tantum substantia est, ergo accidens non est’. Quod si dicatur quod Philosophus, I *Physicorum*, arguit quod si tantum unum est et illud est accidens, quod cum hoc substantia est, dicendum quod apud Philosophum illa propositio includit repugnantiam, inquantum accidens

195 non potest esse sine substantia, et tamen dicendo: ‘tantum accidens est’, ex vi sermonis excluditur substantia, cum realiter substantia sit aliud ab accidente.

Ex eadem /Vb 251ra/ etiam regula patet quod dictio exclusiva addita definito non excludit definientia, nec etiam proprias passiones concretive acceptas. Unde dicendo: ‘tantum homo currit’ non excluditur rationale aut susceptibile disciplinae, nec e converso. /X 509b/

200 Per idem quoque patet quod addita toti integrali partem non excludit, quamvis fiat e converso, cuius ratio est quia totum non potest participare aliquam formam, quin eam participant omnes partes. Si enim totus paries albus est, necesse est lapides albos esse, non tamen e converso. Propter quod dicendo: ‘solus lapis est albus’, excluditur paries, sed non e converso. Voluerunt tamen aliqui dicere quod dictio exclusiva addita toti integrali excludit

205 partem, unde omnes tales propositiones includunt repugnantiam, secundum eos, pro eo quod dictio exclusiva separat a consortio praedicati omne quod sic est aliud a subiecto, quod non praedicatur de eo in recto, nec e converso. Constat autem quod pars non praedicatur de toto in recto, aut e converso. Et idcirco tales propositiones verificari non possunt. Sed hoc stare non potest, quoniam propositiones huiusmodi inveniuntur positae in scriptura veritatis. Legitur enim

210 Levitico 13 quod quicumque maculatus fuerit lepra, solus erit extra castra. Et similiter II Rege 2 dicitur quod sola domus Iudae sequebatur David. Quare, si excluderetur pars integralis, sequeretur quod pes leprosi non deberet esse extra castra vel caput, et quod singulares homines

de domo Iudae non sequerentur David. Unde melius dicendum est, sicut prius, quod dictio
 215 exclusiva non excludit a subiecto illud quod de necessitate habet consortium cum eo in ordine
 ad praedicatum.

Est tamen advertendum quod in omnibus praedicatis, si exigat condicio praedicati, potest
 fieri exclusio. A superiori quidem excluditur inferius, ut si dicatur: ‘sola substantia est genus
 generalissimum in coordinatione substantiarum’. Ab inferiori vero, ut si dicatur: ‘haec sola
 220 Phoenix est individuum in sua specie’; non enim dubium quod excluditur Phoenix et animal,
 quia neutrum simpliciter sumptum est individuum. Ab accidente vero concrete sumpto
 excluditur subiectum, si dicatur: ‘tantum album est ens per accidens’, excluditur lignum quod,
 licet sit album, non tamen est ens per accidens; similiter etiam si dicatur: ‘solus paries
 componitur ex lapidibus et cemento’, excluditur lapis.

225 **An dictio exclusiva addita uni correlativo excludat reliquum. Opinio quorundam.** Sed de
 correlativis est dubium an dictio exclusiva addita uni excludat alterum. Et dixerunt aliqui quod
 non; dictio enim exclusiva non videtur excludere nisi ea quae possunt mutuo separari. Sed
 manifestum est quod unum relativum non potest separari ab alio in esse, nec etiam quoad
 intelligi, quia sunt simul naturali intelligentia et existentia. Ergo non videtur quod dictio
 230 exclusiva addita uni relativo excludat reliquum. Et confirmatur ex his quae dicta sunt de
 accidente in concretione, et de partibus totius integralis, pro eo enim quod habent simultatem
 cum toto per essentiam, et accidens cum subiecto per inhaerentiam, non excluduntur per
 huiusmodi dictiones. Et idem videtur si aliqua habeant simultatem per coexistentiam et
 cointelligentiam, cuiusmodi sunt relativa. /X 510a/

235 **Opinio aliorum.** Fuerunt vero alii qui dixerunt quod relativa non sunt de principali intellectu,
 unum respectu alterius, sed tantum de cointellectu. Et ideo dictio /Vb 251rb/ exclusiva addita
 uni excludit reliquum. Quod autem ita sit, patet ex multis; quandocumque enim aliqua sic se
 habent quod unum est de principali significato alterius, si unum addatur alteri, fit nugatio, sicut
 240 patet dicendo: ‘homo animal’. Sed nulla est nugatio cum dicitur ‘pater filii’. Ergo filius non est
 de principali conceptu patris.

Praeterea, quaecumque realiter differunt possunt habere distinctos et differentes conceptus.
 Sed extrema relativorum realiter distinguuntur. Ergo videtur quod habeant distinctos principales
 conceptus.

245 Praeterea, quandocumque aliquid non est de intrinseca essentia alicuius, non est de eius
 principali conceptu. Sed unum relativum non est de essentia alterius. Ergo non est de eius
 principali conceptu.

Dicunt ergo isti quod si de principali conceptu unius relativi esset reliquum, dictio exclusiva
 addita uni non excluderet aliud, sicut patet quod addita homini non excludit animal, et addita
 250 toti integro non excludit partem, et addita subiecto non excludit accidens concrete sumptum,
 et addita accidenti non excludit subiectum quod ponitur in eius definitione; haec enim omnia ex
 hoc tenent: quod unum est de principali conceptu et intellectu alterius.

255 **Opinio aliorum.** Fuerunt vero alii qui dixerunt quod unum relativum est de principali conceptu
 alterius; illud enim cuius principalis conceptus est *esse ad aliud* includit in suo principali
 conceptu *aliud*. Sed conceptus relationis est *esse ad aliud*. Ergo de suo principali conceptu est
aliud.

Praeterea, illud quod non potest habere principalem conceptum, in quo non claudatur aliud,
 videtur de suo principali conceptu includere aliud. Sed nullo modo potest concipi aliquod
 260 relativum sine termino. Ergo unum relativum est de principali conceptu alterius, et multo
 amplius quantum ad hoc quam differentia sit de conceptu speciei, quia homo in quantum animal
 potest habere conceptum sine rationali; relativum autem nullum conceptum habet in quo non
 includatur aliquid aliud.

Praeterea, si non esset unum relativum de principali conceptu alterius, sed de secundario,
 265 tunc relativum haberet duplicem conceptum; et tunc quaeritur an principalis conceptus sit

absolutus et secundarius relativus, quod esse non potest, quia relatio non habet conceptum absolutum, aut uterque erit relativus, et habebitur propositum quod aliquid aliud claudetur in utroque. Igitur id quod prius.

270 Praeterea, si relativum habet principalem conceptum, in quo non includitur aliud, posset per divinam potentiam separari; et secundum hoc posset Deus facere quod cognito uno /X 510b/ relativorum, non cognosceretur reliquum, quod est impossibile et contra Philosophum in *Praedicamentis*. Ergo illud poni non potest.

275 Concludunt ergo isti quod unum correlativum est de principali significato alterius, et hoc est speciale in relativo, quod aliud sit de intellectu ipsius; non obstante tamen hoc dictio exclusiva addita uni excludit reliquum pro eo quod est aliud, ‘solus’ quidem, ut Philosophus dicit in *I Elenchorum*, est idem quod non cum alio.

Quid dicendum secundum veritatem, et primo an unum relativum sit de principali conceptu alterius. Restat ergo dicere quod videtur sub duplici propositione. Prima quidem 280 quod unum relativum non est de principali conceptu alterius obiectivo et in recto, quamvis actus intellectus qui cadit super unum attingat alterum in obliquo. Ubi considerandum quod conceptus principalis et secundarius possunt distinguere actum intellectus, et sic non est verum quod relativum habeat conceptum principalem et secundarium, immo eodem simplici actu intellectus quo attingitur unum, attingitur alterum. Vel possunt distinguere conceptum obiectivum, et 285 secundum hoc relativum habet duos /Vb 251va/ conceptus: unum quidem in recto, reliquum in obliquo. In obliquo quidem concipitur relativum quod intelligitur per modum extremi, in recto vero quod intelligitur per modum principalis: unde concipiens patrem, intelligit filium indirecte et in obliquo.

290 Secundum hoc ergo utraque opinio verum tenet. Prima quidem referendo ad conceptum obiectivum; secunda vero referendo ad conceptum seu intellectionem actum. Unde intellectus concipiens paternitatem claudit tria obiecta: unum quidem in recto, et est habitudo; alterum vero in obliquo, et est fundamentum; tertium quoque etiam in obliquo, et est extremum; intelligitur enim ut habitudo Sortis ad Platonem. Et idem intelligendum est de omni alia relatione. Et propter hoc, cum accidentia absoluta definiri habeant per unicum tantum additamentum, 295 videlicet per subiectum, septem accidentia non-absoluta, utpote relatio et sex principia, definiri habent per duplex additamentum, videlicet per subiectum et terminum. Procedunt autem rationes quae pro opinionibus inducuntur secundum hos duos intellectus.

Quod dictio exclusiva addita uni relativo excludit reliquum, contra primam opinionem. 300 Secunda vero propositio est quod dictio exclusiva addita uni relativo excludit alterum. Videretur tamen hoc distinguendum de praedicatis quae non possunt inesse uni correlativo sine altero, utpote esse vel cognosci; impossibile est enim unum esse quin reliquum sit, aut unum cognosci quin reliquum cognoscatur, et ita quod dicendo ‘tantum pater /X 511a/ est’, filius non excluderetur. De praedicatis autem quae praecise inesse possunt uni sine altero, exclusio fieri 305 videretur, ut <cum> [Bo; om. Vb] dicitur: ‘solus pater refertur ad filium’, vel ‘solus pater generat filium’, eo modo quo superius dicebatur quod non excluditur lapis dicendo: ‘solus paries est albus’, pro eo quod clauditur infra parietem respectu huius praedicati, et tamen excluditur dicendo ‘solus paries componitur ex lapidibus et cemento’.

310 Sed his non obstantibus dicendum est simpliciter quod excluditur unum relativum ab alio respectu quorumcumque praedicatorum. Quod patet ex tribus: primo quidem, quia Philosophus arguit in *I Physicorum* quod, si tantum principium est, principiatum non est. Secundo vero, quia solus est qui est non cum alio, ut Philosophus dicit in *I Elenchorum*; sed filius est alius a patre; ergo si solus pater est, filius non est. Tertio quoque, quia quod contingit intelligere, contingit significare, sive vero sive falso intelligatur; contingit autem intelligere quod unum relativum ab 315 alio excludatur, quamvis falso. Unde potest aliquis concipere quod tantum sit pater filio excluso. Ergo istum conceptum falsum contingit significare per dictionem exclusivam. Nihilominus falsae sunt omnes propositiones exclusivae quae sunt de altero relativo in ordine ad praedicatum in quo de necessitate unum correlativum concomitatur aliud, cuiusmodi sunt esse et intelligi et

similia.

320 Nec valet quod inducebatur in oppositum in prima opinione, quoniam unum relativum non est de conceptu alterius in recto et formaliter, sed in obliquo et concomitanter. Propter quod dictio exclusiva, quae habet separare omne quod est aliud a subiecto, excludit alterum correlativum, non autem partes integrales, pro eo quod concurrunt ad constitutionem totius et ad essentiam eius integrandam.

325 Et in **/Vb 251vb/** his finitur articulus secundus.

Articulus Tertius

Quomodo dictio exclusiva vel exceptiva locum habeat in divinis. Circa tertium quoque considerandum est quod de dictionibus exclusivis aut exceptivis, qualiter locum habeant in divinis, potest veritas deprehendi sub quinque regulis quae possunt formari. Prima quidem quod
330 'solus' non habet locum in divinis quando tenetur categorematice sive significative. Unde haec est falsa 'Pater est solus' vel 'Deus est solus', pro eo quod 'solus' praedicat hic solitudinem, et excludit a Deo consortii pluralitatem, quod omnino verum non est; in Deo enim non est solitudo, cum sit ibi societas et consortium personarum. Et per hanc regulam patet quod haec
335 non est admittenda 'Pater est Deus solus', hoc est 'Deus solitarius', nec ista: 'trinitas est Deus solus', cum non sit Deus solitarius, immo 'Deus qui est veraciter trinus'.

Secunda vero est quod dictiones exclusivae syncategorematicae sumptae locum habent in divinis, si addantur subiecto, et fiat exclusio a forma subiecti, sumuntur autem syncategorematicae huiusmodi dictiones semper quando adverbialiter tenentur, ut 'solum',
340 'tantum'; 'solus' autem potest **/X 511b/** teneri in vim adverbii, ut si dicatur 'Petrus currit solus', idem est dictu quod Petrus currit solum vel tantum. Adduntur autem ad subiectum ut fiat exclusio a forma ipsius, ut cum dicitur 'solus Pater est tantus, quanti sunt omnes tres simul'; est enim sensus, quod ille cui nullus communicat in esse Patrem et in forma paternitatis est tantus, quanti sunt omnes simul. Unde sic utendo dictionibus exclusivis addi possunt termino personali
345 posito ex parte subiecti, dato etiam quod ex parte praedicati ponatur terminus essentialis. Unde haec est vera 'solus Pater est Deus', si intelligatur fieri exclusio a forma paternitatis, quia ille qui solus est Pater, utique verus est Deus.

Tertia quoque regula est quod addi possunt huiusmodi dictiones termino essentiali posito ex parte praedicati, si intelligatur fieri exclusio a forma ipsius, et hoc si ex parte subiecti ponatur
350 Pater vel Spiritus Sanctus, sed non si ponatur Filius. Unde haec est vera 'Pater vel Spiritus Sanctus sunt Deus tantum'; est enim sensus quod non sunt nisi Deus, nec habent naturam aliam nisi deitatem. Sed haec non est vera 'Filius est Deus tantum', cum sit Deus et homo. Et per hanc regulam patet quod non est vera propositio, si in praedicato ponitur terminus personalis, et fiat exclusio a forma ipsius, ut si dicatur 'Deus est Pater tantum', hoc est 'habet paternitatem
355 tantummodo', non est dubium quod est falsum, cum habeat tres proprietates. Est tamen vera propositio, si ponatur trinitas in praedicato, ut 'Deus est trinitas solum', vel etiam si ponatur in subiecto dicendo 'trinitas est Deus solum'.

Quarta quoque regula est quod dictio exclusiva denotans exclusionem fieri a subiecto respectu praedicati, et e converso, potest addi termino personali, vel ex parte praedicati vel ex
360 parte subiecti, in ordine ad aliud personale. Unde haec est vera 'solus Pater generat', vel 'tantum Filius generatur', vel 'Filius generatur tantum'. Ubi tamen est una persona habens plures proprietates, vel ubi est aliquod personale commune duabus personis, non videtur posse poni ex parte praedicati dictio exclusiva. Unde ista non est vera 'Pater generat tantum', quoniam cum hoc spirat. Nec similiter ex parte subiecti, quia non est ista vera 'tantum Pater spirat', quia Filius
365 spirat una cum eo.

Opinio Thomae, parte prima, quaestione 31, articulo 4, et Hervaei in *Scripto*. /Vb 252ra/

Pro quinta vero considerandum est quod dictio exclusiva potest addi termino essentiali in ordine ad aliud essenziale, ut dicendo 'solus Deus est aeternus', vel 'tantum Deus est immensus'. Sed
370 utrum possit addi termino essentiali in ordine ad terminum personalem, dicendo 'solus Deus est Pater', vel termino personali in ordine ad essentialem, dicendo 'solus Pater est Deus', dubium

est. Dixerunt namque aliqui quod si excludatur ‘aliud’ neutraliter, propositio est vera; est enim sensus quod solus Pater est Deus, quia nullus est Deus qui sit aliud a Patre (Filius quidem et Spiritus Sanctus, qui Deus sunt, non sunt aliud a Patre). Si /X 512a/ vero excludatur ‘alius’ masculine, tunc propositio erit falsa, quia Pater est alius a Filio; et ideo non solus Pater est Deus. Et quoniam primitus sensus non est ita proprius sicut secundus, non sunt propositiones huiusmodi extendendae.

Sed iste modus dicendi videtur introducere impropriam distinctionem, quia pari ratione posset ista distingui ‘Pater solus spirat’; si enim excludatur ‘aliud’ neutraliter, vera est, quia Filius non est aliud a Patre; si vero alius masculine, propositio erit falsa. Unde dictio exclusiva ex natura sua non aspicit masculinum nec neutrum in excludendo, nec aliquem modum significandi, sed excludit rem aliam a subiecto, a consortio praedicati, sive illa res exprimat masculine, sive feminine, vel neutraliter. Unde sensus est ‘solus Pater est Deus’ quod Pater sit Deus et nulla alia res a Patre sit Deus. Unde locum non habet haec distinctio generis neutri vel masculini.

Opinio aliorum. Propterea dixerunt alii quod haec propositio ‘solus Pater est Deus’ potest distingui per compositionem et divisionem. Dicit enim Priscianus in II *Minoris voluminis* quod inter exigens et exactum cadit implicatio media quae explicatur per ‘quid est’ vel ‘quod est’. Unde dicendo: ‘homo albus’, sensus est ‘homo qui est albus’; et dicendo ‘lignum album’, ‘lignum quod est album’. Ad propositum ergo cum dicitur ‘solus Pater est Deus’, sensus est ‘Pater, qui est solus, est Deus’. Et in isto sensu diviso est vera propositio; est enim sensus quod Pater est Deus, et ille solus est Pater. In sensu vero composito et coniuncto est falsa. Et potest simile assignari in propositione ista ‘omnis homo albus currit’; si enim ponatur implicatio divisim, et ex parte praedicati, propositio falsa est, dicendo: ‘omnis homo currit, et ille est albus’. Secundum hoc est sensus quod omnis homo sit albus. Si vero ponatur implicatio ex parte subiecti, tunc est compositio, et est propositio vera, dicendo: ‘omnis homo, qui est albus, currit’, dato quod non sit nisi unus homo albus et ille currat. Consimiliter in proposito, cum dicitur: ‘solus Pater est Deus’, in sensu diviso verum est quod Pater est Deus et ille est solus Pater in divinis; in sensu vero composito est falsum quod solus ille, qui est Pater, sit Deus.

Sed haec distinctio videtur incompetens; nullo enim modo implicatio quae cadit inter exigens et exactum potest determinare praedicatum, ut sit divisio. Sed semper debet intelligi ut determinans subiectum, alioquin haec propositio esset distinguenda ‘homo albus est ens per accidens’, quia si implicatio possit ferri ad praedicatum, propositio erit falsa, erit enim sensus quod homo erit ens per accidens, qui est albus. Semper igitur adiectivum cum sua implicatione determinat subiectum, ut sit sensus compositus et continuus; nec compositio aut divisio fit nisi per dictionem quae ex natura sua habet quod possit trahi ad determinandum /Vb 252rb/ subiectum et ad determinandum praedicatum. /X 512b/

Opinio Scoti. Quapropter dixerunt alii quod haec propositio simpliciter est falsa quantum est ex virtute sermonis: ‘solus Pater est Deus’ vel ‘solus Pater est tantus, quanti sunt omnes tres’. Tum quia propositio exclusiva convertitur in propositionem universalem de terminis transpositis, ut ‘solus homo currit’ convertitur in istam: ‘omne currens est homo’. Sed constat quod haec propositio est falsa ‘omnis Deus est Pater’, quia Filius est Deus, et tamen non est Pater. Ergo et ista est falsa: ‘solus Pater est Deus’. Tum quia propositio exclusiva de finito aequipollet universali negativae de infinito, ut verbi gratia ‘solus homo currit’ aequipollet huic: ‘nullus non-homo currit’. Sed manifestum est quod haec est falsa: ‘nullus non-Pater est Deus’, cum Filius sit Deus; et similiter ista: ‘nullus non-Pater est tantus, quanti sunt omnes tres’. Ergo haec est falsa de virtute sermonis: ‘solus Pater est Deus’ vel ‘solus Pater est tantus, quanti sunt omnes tres’. Tum quia propositio exclusiva habet duas exponentes, et si altera sit falsa, tota propositio exclusiva est censenda falsa, ut verbi gratia ‘solus homo currit’ exponitur per istas: ‘homo currit’ et ‘nullum aliud ens currit’. Sed manifestum est quod licet ista sit vera: ‘Pater est Deus’, vel ‘Pater est tantus, quanti sunt simul omnes tres’, ista tamen non est vera: ‘nullus alius est Deus’, vel ‘nullus alius est tantus’, cum Filius sit Deus, et tantus, quanti omnes tres. Ergo haec

425 propositio non est vera: ‘solus Pater est Deus’, vel ‘tantus, quanti omnes’. Sic igitur de virtute sermonis verae non sunt, sed Augustinus utitur eis ad tollendum haereses et errores.

Quid dicendum secundum veritatem. Restat nunc dicere quod videtur sub duabus propositionibus. Prima quidem quod ‘solus’ uno modo tenetur praecisive, alio modo exclusive. Praecise quidem ut cum dicitur ‘solus Sortes potest trahere navem’; est enim sensus quod Sortes praecise sumptus, sine adminiculo, potest trahere navem. Exclusive vero, si esset sensus quod nullus alius traheret navem nisi Sortes. Sic igitur haec propositio ‘solus Pater est tantus’ vera est, si teneatur praecisive, quia sine adiunctione aliarum personarum tantus est Pater, quantus si sibi personae aliae adiungantur. Et similiter ‘solus Pater est Deus’ sub hoc sensu verum est, quia per se et praecise sumptus est Deus, nec indiget alterius adminiculo ut sit Deus. Hunc autem intellectum habuit Augustinus concedendo huiusmodi propositiones, VI *De trinitate*, capitulo 7, cum dicit quod tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater et Filius et Spiritus Sanctus; non enim omnes tres sunt maior Deus quam singuli eorum, quia non est quo crescat illa perfectio. Et quia ex communi modo loquendi haec dictio ‘solus’ tenetur frequenter praecisive, ideo concedi potest quod ista propositio de virtute sermonis est vera.

Secunda vero propositio est quod si ‘solus’ teneatur exclusive, quantum est de virtute sermonis, sicut dicit opinio immediate praecedens, /X 513a/ orationes huiusmodi non sunt verae attendendo ad naturam omnium aliorum. Forsitan tamen in Deo videretur aliud sentiendum, pro eo quod Augustinus dicit, I *De trinitate*, capitulo 8, quod in scriptura sancta aliquando ita reperimus dictum de Spiritu Sancto, quod solus ipse ad beatitudinem nostram sufficiat. Ideo enim solus sufficit quod a Patre et a Filio separari non potest, sicut et Pater solus sufficit, quia separari a Filio et Spiritu Sancto non potest, et Filius ideo sufficit solus, quia a Patre et Spiritu Sancto separari non potest. /Vb 252va/

450 Ex hoc siquidem dicto videtur colligi posse quod dictio exclusiva addita uni personae in ordine ad praedicatum essenziale non excludit aliam, quod quidem non provenit ex natura dictionis in generali exclusivae, nec ex natura relativorum, quoniam dictio exclusiva addita uni potest excludere reliquum, ut superius dictum fuit, sed provenit hoc ex condicione divinarum personarum, quae omnino sunt unum in ordine ad praedicatum essenziale, manente siquidem eadem ratione debet idem manere. Nunc autem quod dictio exclusiva addita inferiori superius non excludat respectu praedicatorum in quibus idem sunt inferius et superius, excludat autem respectu eorum in quibus non idem sunt, verbi gratia dicendo ‘tantum Sortes currit’ non excluditur homo, quia in currere non distinguuntur homo et Sortes. Et tamen si non esset aliud individuum hominis nisi Sortes, dicendo ‘tantum Sortes est individuum hominis’, excluderetur homo et animal et corpus animatum, quae non sunt individua hominis. Quod utique <si> [sic Vb] contingat, hoc provenit ex eo quod inferius et superius sunt unum respectu unius praedicati, et non respectu alterius. Et simile reperitur in toto integrali, et in eius partibus, nam dicendo ‘solus paries est albus’ non excluditur lapis, dicendo vero quod ‘solus paries componitur ex lapidibus et cemento’, excluderetur lapis; totum enim integrale et partes sunt unum in esse album, et non unum in esse compositum. Ergo pari ratione personae divinae, cum sint unum in ordine ad praedicata essentialia, non unum vero in ordine ad notionalia, non videntur se mutuo excludere in ordine ad illa, quamvis in ordine ad ista.

Sic igitur in divinis videtur una logica specialis, quod dictio exclusiva addita uni personae relativae aliam non excludat, non quidem propter naturam relativorum, sed ex condicione personarum, quae in ordine ad praedicata essentialia sic sunt unum /X 513b/ quod non potest uni fieri attributio quin attribuat et alteri huiusmodi praedicatum, secundum quod Augustinus dicit *Contra Maximianum*, libro III, capitulo 13, quod si de solo Patre diceretur quod esset sapiens et Deus, non tamen excluderetur Filius et Spiritus Sanctus, quia hii tres unum sunt et quia inseparabiles sunt. Unde et VI *De trinitate*, capitulo 8, dicit quod consequens est, ubicumque nominatur unus, sive Pater sive Filius, quod intelligatur Spiritus Sanctus; uno quidem istorum nominato intelliguntur et reliqui, quod in pluribus scripturae locis occurrit. Considerandum est enim quod si condicio divinarum personarum logico nota esset, aequae

daretur regula ab eodem, quod dictio exclusiva addita uni personae aliam non excluderet in ordine ad praedicatum essentiale, in quo simpliciter unum sunt, et quod unica et eadem attributione inesset ipsis, sicut datur ab eo regula de toto integrali et partibus, vel de inferiori et superiori. Secundum hoc ergo, cum dicitur ‘solus Pater est Deus’, non debet fieri conversio in istam ‘omnis Deus est Pater’, quin includatur Filius et Spiritus Sanctus, nec aequipollet propositio illa huic: ‘nullus non-Pater est Deus’, sed huic: ‘nullus qui non est idipsum quod Pater est Deus’.

485 Ex praedictis itaque potest quinta regula sic formari, quod dictio exclusiva addita uni personae aliam non excludit quoad praedicata essentialia; et idem intelligendum est de dictionibus exceptivis.

In quo terminetur tertius articulus.

490 **Responsio ad obiecta.** Ad ea ergo quae superius inducuntur dicendum est. Ad primum quidem /Vb 252vb/ quod ‘solus’, prout significat solitudinem simpliciter et est categorematica dictio, non admittitur in divinis, sed, prout significat solitudinem in participatione alicuius praedicati; persona namque Patris singulariter et solitarie generat, nec hoc communicatur alicui alteri personae. Et per idem patet ad secundum quia Salvator refert ad istum intellectum quod ait:
495 ‘non sum solus, quia Pater mecum est’.

Ad tertium dicendum quod respectu praedicatorum essentialium inseparabiles sunt tres personae, cum sint omnino unum; propter quod dictio exclusiva ab una persona aliam non excludit quoad huiusmodi praedicata, excludit tamen omnem creaturam. Et per idem patet ad quartum.